Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 27
Quelle:
Copyright:

3) Summarium illud biblicum metricum *Alexandri de Villa Dei* O. M. quod incipit: *Sex prohibet peccant* &c. a me jam alias indicatum. 4) Versus alii, ut *n.* 2. in quibus tamen nihil de *Laodicensibus;* ita enim *Pauli* Epistolae memorantur:

Ro. Corin. et Gal. Ephes. Phi. Co. Thess. Timo. Ti. Phil. Hebrae.

XVII.

U. 57 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 496. 4. per duas columnas nitide exaratus, rubricis comtus, et quondam *Collegio Episcopali ad S. Nicolaum* addictus ab *Joh. Fabro* Antistite *Vien.* ut et manus praevia et Προγραμμα a. 1540. typis excusum testatur, est Exemplar sacrorum *Bibliorum* Lectionis vulgatae hoc quidem ordine decurrens: praemissis *Hieronymi* Prologis consuetis *Pentateuchus, Josue, Judices, Ruth, Regum IV. Paralipomena* subjecta in margine *Manassis Oratione, Esdras* et *Nehemias, Confessio Esdre* desumta ex ejus *Libro* IV. apocrypho c. 8. a v. 20 — 37. non sine varietate ab editis. Tum *Proverbia, Ecclesiastes* praevio Capitulari, *Cantica, Sapientia, Ecclesiasticus, Job, Tobias, Judith, Esther* et *Machabaei.* Rursus *Prophetae* IV. majores et XII. minores. Atque hactenus Lex vetus. *Fol.* 351. nova incipit ab *Omelia Origenis* in C. I. Joh. *In Principio erat Verbum* &c. hoc tenore: *Vox spiritualis aquilae auditum pulsat ecclesie* &c. Abjudicarunt ab *Origene* jam dudum Critici *Homilias* illas X. *in diversos N. T. locos*, in quarum serie Nostra *secunda* est, neque reproduxit eas *Car. Ruaeus* in edit. *Opp.* graecolat. *Paris.* 1733 — 59. f. extant tamen in Editionibus anterioribus lat. *Genebrardi,* puta *Paris.* 1619. P. II. p. 274. f. a quibus Exemplum nostrum non raro variat. Sit specimen p. 279.

Editio	Codex
Multi recipiunt Christum, sed non credunt in nomine vnigeniti qui filium Dei consubstantialem negant, hoc est patri consubstantialem eum affirmant, hoc est essentiam quae pater est.	*Arriani recipiunt eum, sed non credunt in nomine eius, non credunt unigenitum dei filium patri consubstantialem,* ὁμοουσιον *eum negant, hoc est patri coessencialem,* ἑτεροουσιον *eum affirmant, hoc est, alterius essencie, quam pater est.*

Plenius certe Codex, quamvis pro ἑτεροουσιον manifeste legendum ἑτεροουσιον, et *Arrianorum* mentio *Origenem* autorem excludat. *Homiliam* hanc porro excipiunt *Evangelia* praeviis *Hieronymi* Prologis